

082

080

086

076

091

071

131

031

181

Ende

Anfang

67

Quarta decima die, quae est Tiburtii et Valeriani, lecta  
Missa et sumpto cibo, congregatis ad me omnibus fratribus  
dixi eis, me jam velle ex toto recedere: et benedictionem  
itinerantium a reverendo Patre Magistro Ludowico petii. Qui  
duxit me ad chorum, ad quom totus Conventus comitabatur  
me, et prostratus in medio Chori coram venerabili Sacramento  
altaris accepi benedictionem cum ingenti Patris Prioris et  
omnium fratrum fletu. Ego vero accepta benedictione p<sup>r</sup>aes  
singulu et fletu verbis fratribus valedicere non potui: sed ipsae  
lacrimae et vultus moerens et singultus loquebantur. Singulis  
ergo fratribus amplexatis et deosculatis me eorum orationibus  
commendavi. Vix autem persuadere poteram ut reverendus  
Magister Ludowicus domi in pace maneret. Volebat enim  
salvum conductum mihi praestare, usque in Memmingen, sicut  
prius fecerat, sed ego omnino recusavi (**26 A**), ne in nostra  
separatione nova tristitia et turbatio ambos afficeret. Quamvis  
enim laeto animo et jocundissima mente ad illam peregrinatio-  
nem pergerem, in separatione tamen a tam fidelissimo Patre  
et charissimis meis fratribus moestis et tristibus lacrimas  
copiosas fundere me necesse erat. Colligatis itaque sacculis  
meis, quos mecum ducere volebam, et equo quem emeram  
impositis, desuper sedi, cum servo Comitis recessurus. Porro  
me in equo sedente omnes fratres circumstantes obnixe petie-  
runt, ut loca sancta diligenter notarem, et couscriberem ad  
eosdemque deferrem, ut et ipsi, etsi non corpore, mente tamen  
possent circa loca sancta recreari: quod et fratribus promisi.  
Et cum hoc servus Comitis et ego Conventum exivimus,  
et clam quasi occulte de civitate equitavimus: per portam gregis  
pontis transeuntes flumen Danubii. A casu autem concordantia  
accidit prioris peregrinationis et illius quo ad diem. Primam  
enim peregrinationem in die sanctorum Tiburtii et Valeriani  
inchoavi. Eodem autem die et hora duobus annis revolutis  
ad secundam Evagationem profectus sum. Equitantes autem  
servus Comitis et ego ocios ad villam Dissen venimus, et  
supra illam in castrum, in quo Dominus Comes residebat,  
ascendimus. Causa autem, propter quam me vocavit, erat  
ista. Sub castro in villa, quae dicitur Jedicsheim vel Iheidems-  
heim, erat quaedam virgo alienata a sensibus, quam multi

5 \*

